Quelle: https://manuscripta.at/?ID=951
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



9

eorum que sunt in uoce tantundem ualet tamquam si diceret Note sunt litterae
que scribuntur uerborum et nominum que sunt in uoce. Monstrauit igitur uoces in
tellectuum esse significatiuas. et litteras uocum. nunc de eorum natura pertractat
dicens. Et quemadmodum nec litterae omnibus eedem sic nec eedem uoces. Hoc S
ad demonstrandum ualet litteras. et uoces positione positione
constitui non natura. Et enim diuerse uoces apud diuersos sunt et litterae.
Et quemadmodum litterae eedem apud omnes homines non inueniuntur. ita quoque
nec uoces. Quare he secundum positionem sunt quod ipse reticuit uelut
planum. Manifestum enim est quod per legentes singulas permuta
tur. hoc non natura constitutum esse sed positione. quod uero addidit. Quorum autem S
he primorum note eedem omnibus passiones anime sunt. Et quorum he
similitudines res etiam eedem. B. Adhoc pertinet ut naturales esse res
intellectusque declarat. Idem namque ut dictum est intellectus passiones
quedam anime sunt. rerum autem similitudines. Ergo nunc hoc dicit. Quorum
he. i. uoces de quibus supra dixerat. sic nunc eedem uoces. Quorum igitur he uoces
significatiue sunt. i. passionum anime he sunt apud omnes eedem. Significant autem
uoces illa que sunt in intellectibus. Intellectus igitur animi passio est apud
omnes homines non diuersa. Ergo naturales apud omnes homines est animi concep
tio atque anime passio. quorum sunt note ea que uersantur in uocibus.
Docent autem et res quorum sunt similitudines intellectus et anime
passiones esse non positione sed naturaliter constitutas. Iccirco quod he res quarum
similitudines sunt intellectus qui intellectus anime passiones
sunt. apud omnes eedem sunt. Hoc est enim quod ait. Et quorum he similitudines
sunt anime passiones que sunt similitudines rerum res etiam eedem.
Ac si diceret Quorum intellectus sunt similitudines. qui intellectus
anime passiones sunt. i. res apud omnes eedem sunt. Quod autem ita
posuit. Quorum autem he primorum note. hoc sentit. de uocibus enim
dicit quorum uoces primorum note sunt. apud omnes eedem sunt anime
passiones. Uox enim et intellectum rei significat. et ipsam ut rē
cum dico lapis. et intellectum lapidis. et ipsum lapidem. i.
ipsam substantiam designat. sed prius intellectum. secundo uero loco
significat. Ergo non omnia que uox significat passiones anime sunt. sed rē
illa sola que primarie. Primum enim significat secundo uero loco res. Sed in intellectus